dixerat et loqui non poterat. sed per ea que dixit verbum accepit
et bonorum operum edidit claritatem. Ergo sicut moyses typus
ipsi fuit et typus legis. ita et zacharias tacuit. Singula
itaque ut decurrimus consideranda sunt. Verbum in utero. lex in si
lentio. iohannes appellatur et zacharias loquitur. Verbum editur.
lex absolvitur. Sed legis absolutio. verbi est explicatio. Et ideo
quod dixerit verbum loquitur. et si ante non sit locutus. Ab angelo
iubetur tacere zacharias. ab angelo vox promittitur iude
orum. Non enim humane sed divine hoc potestatis imperium
est. ut non loquatur deo qui non credit christo. Et ideo credamus ut lo
quamur. Credat iudeus. ut loqui possit. Loquamur spiritu. myste
ria intellegamus. ratione sacrificiorum veterum. enigmata
prophetarum. Mutus est qui non intellegit legem. mutus est qui non intelle
git divinarum seriem scripturarum. Vox enim nostra fides est. Et ideo
al' malo
malle me quinque verba mente mea loqui ut alios instru
am. quam decem milia verborum in lingua. Lingue enim in si
gno sunt non fidelibus. prophetie autem non infidelibus. sed FIDELIBUS.

De conceptione elisabeth.

POST hos autem dies concepit elisabeth uxor
eius. et occultabat se mensibus quinque dicens. Quod mihi
sic fecit dominus in diebus quibus respexit auferre obprobri
um meum inter homines. Magna sanctis cura est verecundie. ut
plerumque in ipsis pudor votorum sit. sicut hoc loco advertimus
sanctam elisabeth que utique filios habere cupiebat. occultantem
se mensibus quinque. Que causa occultationis est. nisi pudo
ris. Est enim unicuique officio prescripta etas. et quod tempore decet.
tempore non decet. cuique mutatio facta uni cuique mutat sepe
naturam. Sed et ipsi quedam tempora prescripta coniugio. quando dare
operam liberis sit decorum. dum anni vigent. dum suscipiendorum
liberorum spes est. dum generandi usus est in exemplo. copule